

nuperrimum, nihil temporale, nihil impotens, nihil minus, nihil inaequale: trinitas veneranda, deprecanda, trinitas innarranda, investiganda, incomprehendenda. Et quod invisibilium rerum fides est, nobis dicit Apostolus: Est autem fides sperandarum substantia, rerum invisibilium examinatrix. In hac enim testimonium meruerunt seniores. Et iterum in Evangelio: Deum nemo vidit unquam. Et iterum: Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, & quo vadat. Quod Deus est spiritus, dicit beatus Petrus Apostolus: Ut quid mentitus es Spiritui Sancto Anania? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Non dixit patri & filio, sed Spiritui sancto. Vides igitur quod Deus est Spiritus sanctus. Et quod ubique est, dicit sanctus Propheta: Quo fugiam a spiritu tuo Domine? aut a facie tua quo vadam? Et quod omnia complet spiritus sicut filius, ait Propheta: Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Et ita in Actis Apostolorum: Hac dicit spiritus jubens: Separate mihi Barnabam & Paulum in opus ad quod vocavi eos mittere. Et iterum Apostoli: Placuit spiritui sancto, & nobis. Et in libro Regnorum dicit Deus in Judaeos: Regnaverunt non per me, neque per spiritum meum. Et in Prophetis ita Dominus: Israel concitavit spiritum Domini. Et quod habitat in homine Spiritus sanctus quomodo filius: dicit Apostolus: Quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui habitat in vobis. Et iterum: Nescitis quoniam Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Et quod omnia noverit spiritus dicit sanctus Apostolus ita: Alii datur per spiritum verbum sapientiae, alii verbum scientiae in eodem spiritu, alii fides, alii linguarum genera, alii interpretationes in eodem spiritu, alii gubernatio. Haec autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens omnibus sicut vult. Non dixit, sicut jubetur, sed sicut vult, ostendens non creaturam, sed verum Deum spiritum de Deo esse, & omnia posse sicut filium. Unde ait statim Apostolus: Quemadmodum nemo novit hominum quae sunt in homine, nisi spiritus hominis qui est in eo: sic & quae sunt Dei nemo novit, nisi spiritus qui de Deo est. Spiritus enim Dei perscrutatur etiam alta Dei. Vides, quemadmodum omnia scientem Spiritum sanctum, & omnia potentem, & ubique esse & omnia creasse, & omnia salvare, sancta nobis scriptura annunciat. Unde & Salvator in Evangelio, blasphemiam Spiritus sancti, neque hic, neque in futuro hominibus statuit dimittendam, dicens: Ideo dico vobis, quod omnis blasphemia, & omne peccatum dimittetur hominibus: blasphemiam autem Spiritus sancti, neque hic neque in futuro hominibus dimittetur: non utique blasphemiam dicebant aliam Spiritus sancti Judaei, nisi hoc quod Deus non erat, aut de Deo proprie non est. Nam invenimus quoniam Judaei non audent denegare spiritum: sed in scripturis scribi legentes, aut creaturam accipiunt, sicut angelum, aut ipsum patrem existimant & tertiam personam accipiunt, aut compositum arbitrantur Deum Patrem, cum sit propria natura spiritus pater. Ex his etiam spiritum alterum putant eum consistere & verbo, cum sit hoc magis rei composititiae & crealis, quam verae, divinae, incorporeae simplicisque. Solet à Judaeis hoc sic intelligi, & à paganis interdum. Nobis igitur unus pater, & unus filius ejus verus Deus, & unus Spiritus sanctus verus Deus: & hi tres unum sunt, una divinitas & potentia & regnum. Sunt autem tres personae, non duae, non una, non secundum revelationem, aut collectionem, aut confusionem, sed semper manentibus personis divinis. Harum fides datur in baptismo, ab his & remissio datur peccanti, & vita aeterna sine aliqua dubitatione speratur. Huic trinitati credentes verè sancti & beati Patriarchae, Prophetae, Apostoli, martyres: & martyrii gloriam meruerunt, & spem vitae perennis adepti sunt, & regnum caelorum hereditatione non ambigua sortiti sunt.

SYMBOLUM RUFFINI.

MHI quidem fidelissime Papa Laurenti, ad scribendum animus tam non est cupidus quam nec idoneus, scienti non esse absque periculo, multorum iudicium ingenium tenete & exile committere. Sed quoniam, ut cum venia tui dixerim, id temerè in Epistola tua per me Christi sacramenta, quae à nobis maxima cum reverentia suscipiuntur astringis: ut aliquid tibi de fide secundum symboli traditionem rationemque componam, quamvis supra vires nostras sit pondus prae-

cepti (non enim me latet illa sententia sapientum quae probe admodum dicit, quia de Deo etiam vera dicere periculosum est) tamen si petitionis a te imposita, necessitate orationibus juves: dicere aliqua obedientiae magis reverentia quam ingenii praesumptione tentabimus: quae quidem non tam perfectorum exercitiis digna videantur, quam quae ad parvulorum in Christo & incipientium libentur auditum. Equidem comperi nonnullos illustrium tractatorum aliqua de his pie & breviter addidisse. Photinum vero haereticum scio eatenus scripsisse, non ut rationem dictorum audientibus explanaret: sed ut simpliciter fideliterque dicta, ad argumentum sui dogmatis traheret, cum in his verbis sanctus spiritus providerit, nil ambiguum, nil obscure, nil à reliquis dissonans ponit: quia in his vere complectitur prophetia quae dicit: Verbum enim consummans & brevians in aequitate, quia verbum brevium faciet Dominus super terram. Nos ergo simplicitatem suam, vel verbis Apofolice reddere & signare tentabimus, vel quae omnia videntur à prioribus adimplere. Sed ut manifestus fiat argumentum verbi hujus, ut diximus, breviter, causam qua haec traditio Ecclesiae data est ab origine repetemus. Tradunt majores nostri, quod post ascensionem Domini cum per adventum Spiritus sancti supra singulos quosque Apofolus ignea lingua sedissent, ut loquelis diversis variisque loquerentur, per quod eis nulla gens extranea nulla lingua barbaries inaccessa videretur & in via: praecipuum eis à Domino datum hoc, ad praedicandum Dei verbum ad singulas quoque proficisci nationes. Discessuri itaque ab invicem, normam sibi prius futurae praedicationis in commune constituunt, ne forte alii alio adducti, diversum aliquid his qui ad fidem Christi invitabantur exponerent. Omnes igitur in uno positi, & Spiritu sancto repleti, breve istud futurae sibi, ut diximus, praedicationis indicium, in unum conferendo quod sentiebat unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. Symbolum autem hoc multis & justissimis ex causis appellari voluerunt. Symbolum enim Graecè & indicium dici potest, & collatio, hoc est, quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Apofoli, in his sermonibus in unum conferendo, quod unusquisque sensit. Indicium autem vel signum idcirco dicitur: quia in illo tempore, sicut Paulus Apofolus dicit, & in Actibus Apofolorum refertur, multi ex circumventibus Judaeis simulabant se esse Apofolos Christi, & lucra alicujus vel ventris gratia ad praedicandum proficiscebantur: nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nuntiantes. Idcirco istud indicium posuerunt, per quod agnosceretur is qui Christum vere secundum apofolice regulas praedicaret. Denique & in bellis civilibus hoc observari ferunt, quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos unus est, atque eadem instituta bellandi: ne qua doli surreptio fiat, symbola distincta unusquisque dux suis militibus tradit, quae latine signa vel indicia nuncupantur: ut si forte occurrerit quis de quo dubitetur, interrogans symbolum prodatur si sit hostis vel socius. Idcirco denique haec non scribi chartulis aut membranis, sed requiri in credentium cordibus tradiderunt: ut certum esset haec neminem ex lectione, quae interdum pervenire etiam ad infideles solet, sed ex Apofolorum traditione didicisse. Discessuri igitur ut diximus ad praedicandum, illud unanimiter & fidei suae Apofoli indicium posuere, non sicut filii Noe discessuri ab alterutrum turrim ex latere cocto & bitumine constructas, cujus cacumen usque ad caelum pertingeret, sed monumenta fidei, quae starent adversum faciem inimici, è lapidibus vivis & margaritis dominicis edificantes: quam neque venti impellerent, neque fulmina subruerent: neque tempestatum ac procellarum turbines permoverent. Merito igitur illi ab invicem separandi, turrim superbiae edificantes, linguarum confusione damnati sunt, ne unusquisque posset advertere proximi sui loquelam. Isti vero qui turrim fidei construebant omnium linguarum scientia & agnitione donati sunt: ut illud peccati, hoc fidei probaretur indicium. Sed jam nobis etiam de ipsis aliquid tractandum est margaritis, in quibus primo in loco fons & origo omnium ponitur, cum dicitur: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Verum prius quam incipiam de ipsis sermonum virtutibus disputare: illud non importunè commonendum puto, quod in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis interveniunt adjecta. In Ecclesia prope urbis Romae hoc non deprehenditur factum: quod ego tamen urea esse arbitror, quod neque haereticis ulla illic sumptis exordium, & mos inibi servatur

vatur antiquus, eos qui gratiam baptismi suscepturi sunt, publicè, id est, fidelium populo audiente, symbolum reddere: & utique ad adjectionem hujus saltem sermonis eorum qui praesenserunt in fide non admittit auditum. In ceteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos haereticos addita quaedam videntur, per quae novellae doctrinae sensus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem sequimur, quem in Aquilensi Ecclesia lavacri gratia suscepimus. Credo igitur primo omnium ponitur, sicut Paulus Apofolus ad Hebraeos scribens dicit: Credere enim primo omnium accedentem ad Deum oportet, quia est, & credentibus remuneretur sit. Sed & Propheta dicit: Nisi credideritis non intelligetis. Ut ergo intelligendi tibi aditus pateat, rectè primo omnium te credere profiteris: quia nec mare quis ingreditur, & liquido ac profundo sese committit elemento, nisi se prius credat posse salvari: nec agricola semina sulcis obruit & fruges spargit in terram, nisi crediderit venturos imbres, futurum quoque solis teporem, quibus terra confosa, segetes multiplicata fruge producat, ac ventis spirantibus nutriat. Nihil denique est quod in vita geri possit, si non credulitas ante praeserit. Quid igitur mirum, si accedentes ad Deum credere nos primo omnium profiteremur, cum sine hoc nec ipsa exigi possit vita communis. Haec autem idcirco in principis praemisimus, quia pagani nobis objicere solent, quod religio nostra, quia rationibus deficit, in sola persuasione consistat: & ideo ostendimus, nec agi, nec stare aliquid posse, nisi praeserit vis credendi. Denique & matrimonia contrahuntur, quia creditur successura posteritas: & pueri discendis artibus traduntur, quia magistrorum in discipulos transfundenda creditur disciplina: & imperii insignia unus suscipit, dum credit sibi populos & urbes & armatum etiam exercitum paritum. Quod si haec singula, nisi prius crediderit futura, nullus aggreditur: quomodo non multo magis ad agnitionem Dei credendo veniatur? Sed videamus quid jam brevis hic sermo symboli proponat. Credo, inquit, in Deum Patrem omnipotentem. Orientales Ecclesiae omnes pene ita tradunt: Credo in unum Deum patrem omnipotentem. Et rursus in sequenti sermone, ubi nos dicimus: Et in Christum Jesum unicum filium ejus Dominum nostrum: illi tradunt: Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum unicum filium ejus: unum scilicet Deum & unum Dominum, secundum auctoritatem Pauli Apofoli profitentem. Sed de hoc in competentibus locis repetemus: nunc interim quod ait, in Deum Patrem omnipotentem, videamus. Deus, secundum quod opinari potest humana mens, naturae ipsius vel substantiae quae est super omnia, appellatio est. Pater, arcani & ineffabilis sacramenti vocabulum est. Deum cum audis, substantiam intellige sine initio, sine fine, simplicem, sine ulla admixtione, invisibilem, incorpoream, ineffabilem, inestimabilem, in quo nihil adjunctum, nihil creatum sit: Sine autore est enim ille qui est omnino omnium autor. Patrem cum audis, filii intellige patrem, qui filius supradictae sit imago substantiae. Sicut enim nemo dicitur Dominus, nisi habeat vel possessionem vel servum cui dominetur: & sicut nemo magister dicitur, nisi discipulum habeat: ita & pater nullo pacto quis dici potest, nisi filium habens. Hoc igitur ipso nomine quo Deus Pater appellatur, cum patre pariter subsistere etiam filius demonstratur. Quomodo autem Deus Pater genuerit filium, nolo discutias, nec te curiosius ingeras in profundo arcani: ne forte dum inaccessae lucis fulgorem pertinacius perscrutaris, exiguas ipsum, qui mortalibus divino munere concessus est, perdas aspectum. Aut si putas in hoc omni indagationis genere utendum, prius tibi propone quae nostra sunt: quae si consequenter valueris expedire, tunc à terrestribus ad caelestia, & à visibilibus ad invisibilia properato. Expedi primo si potes, quomodo mens quae intra te est generet verbum: & qui sit in ea memoria spiritus: quomodo haec cum diversis sint rebus & actibus, unum tamen sint vel substantia vel natura, & cum è mente procedant, nunquam tamen ab ipsa separentur. Et si haec quamvis in nobis & animae nostrae substantia habeantur, tamen tanto nobis occulta videntur, quanto aspectui corpore invisibilia: De apertioribus requiramus. Fons quomodo ex se generat fluvium? quo autem spiritu rapidus fertur in fluentem? Quid est quod dum unum & inseparabile sit fluvius & fons, tamen nec fluvius fons, nec fons fluvius intelligi aut appellari potest: & tamen qui viderit fluvium, videt & fontem. Exerce te prius in horum

explanatione, & discute, si potes, quae habentur in manibus: & tunc ad horum sublimiora venies. Nec puto quod te statim de terra ascendere suadeam super caelum: sed prius te, si placet, ad istud firmamentum, quod oculis videtur educam: & ibi, si potes, naturam hujus visibilis luminis discute: quomodo ignis iste caelestis generet ex semetipso splendorem lucis: quomodo etiam producat vaporem, & cum tria sint in rebus, unum tamen sunt in substantia. Quod & si haec singula investigare potueris, scito adhuc divinae generationis mysterium, tanto esse differentius & eminentius, quanto creator creaturis potentior, quanto artifex opere suo praestantior, quanto ille qui semper est, eo qui ex nihilo cepit esse, nobilior est. Credendus est ergo Deus, esse pater unici filii sui Domini nostri, non discutiendus. Neque enim fas est servo de natalibus Domini disputare. Concessatus est pater de caelis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Pater ipsum dicit esse filium suum, & ipsum audiri jubet. Filius dicit: Qui videt me, videt & patrem meum: Ego & pater unum sumus. Et ego ab eo exivi, & veni in hunc mundum. Quis est qui inter has patris & filii voces medius se diffusor interferat, & deitatem dividat, affectum separet, substantiam rumpat, spiritum separet, neget esse verum, quod veritas dicit? Est ergo Deus pater verus, tanquam veritatis pater, non extrinsecus creans, sed ex eo quod ipse est filium generans, id est, quia sapiens sapientiam, quia iustus iustitiam, quia sempiternus sempiternum, quia immortalis immortalem, quia invisibilis invisibilem, quia lux splendorem, quia mens verbum. Quod autem diximus, Orientis Ecclesias tradere unum verum Deum patrem omnipotentem, & unum Dominum: hoc non intellegendum est unum numero dici, sed universitate. Verbi gratia: Si quis dicat unum hominem, aut unum equum: hic unum pro numero posuit: potest enim & alius homo esse & tertius vel equus. Ubi autem alius vel tertius non potest jungi: unus si dicatur, non unitatis, sed universalitatis est nomen. Ut si, exempli causa, dicamus, unum solem: hic unus ita dicitur, ut vel alius, vel tertius addi non possit: unus enim sol: multo magis ergo Deus cum unus dicitur, unus non numeri, seu universalitatis vocabulo nuncupatur, id est, qui propterea unus dicitur, quod alius non sit. Similiter & de Domino accipiendum est, quod unus sit Dominus Jesus Christus per quem Deus Pater dominatum omnium tenet. Unde & sequens sermo omnipotentem pronunciat Deum. Omnipotens autem ab eo dicitur, quod omnium teneat potentatum. Tenet autem omnia pater per filium, sicut & Apofolus dicit, quia per ipsum creata sunt omnia visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Et iterum ad Hebraeos scribens dicit: Quia per ipsum saecula instituit, & ipsum constituit haereditem universorum. Quod si per ipsum saecula instituit pater, & per ipsum creata sunt omnia, & ipse est haeres omnium: per ipsum ergo & potentatum omnium tenet. Quia sicut lux de luce, & veritas de veritate, ita de omnipotente omnipotens natus est, ut in Apocalypsi Joannis scriptum est: Et requiem non habebant die ac nocte, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, qui erat, & qui est, & qui venturus est omnipotens. Omnipotens ergo dicitur, qui venturus est: & quis est alius qui venturus est, nisi Christus Filius Dei? His additur invisibilem & impassibilem. Sciendum quod duo isti sermones in Ecclesia Romana symbolo non habentur. Constat autem apud nos additos, haereticos causa, Sabellii illius profecto, quae à nostris Patripassiana appellatur: id est, quae & patrem ipsum, vel ex virgine natum dicit & visibilem factum esse, vel passum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas de patre, videntur haec addidisse majores, & invisibilem patrem atque impassibilem dixisse. Constat enim filium, non patrem incarnatum, & ex carne natum: & ex nativitate carnis, filium visibilem & passibilem factum. Quantum autem spectat ad illam deitatis immortalem substantiam, quae una ei eademque cum patre est: ibi neque pater, neque filius, neque Spiritus sanctus visibilis, aut passibilis creditur. Secundum dignationem verò carnis assumptae, filius visus & passus est in carne. Quod & Propheta praedixerat ubi ait: Hic Deus noster, non reputabitur alter ad eum, qui invenit omnem viam disciplinae, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilectio suo: post haec in terris visus est: & inter homines conversatus est. Sequitur post hoc. Et in Jesum Christum, unicum filium ejus Dominum nostrum. Jesus, Hebraei vo-

cabuli est nomen, quod apud nos Salvator dicitur. Christus à chrismate, id est, ab unctioe appellatur. Legimus enim in libris Moysi, quod Aufes Nave filius cum electus esset dux populi, commutato nomine de Aufe Jesus cognominatus sit: quo scilicet ostenderetur hoc esse nomen, quod principibus & ducibus conveniret, his duntaxat qui salutem sequentibus se populis darent. Itaque & ille Jesus appellatus est, qui educum de terra Aegypti populum, & de erroribus eremi liberatum in terram repromissionis induxit. Et hic Jesus, qui populum de ignorantia tenebris, educum, & de mundi erroribus revocatum, introduxit ad regna caelorum. Christus quoque vel pontificale vel regium nomen est. Nam prius & pontifices unguento chrismatis consecrabantur & reges. Sed illi veluti mortales & corruptibiles, unguento materiae corruptibilis ungebantur: hic vero sancto Spiritu perunctus Christus efficitur, sicut scriptura de eo dicit: Quem unxit Pater Spiritu sancto misso de caelis. Et Isaias praefiguraverat, dicens: ex persona filii: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare misit me pauperibus. Quia ergo ostendimus quid sit Jesus qui populum salvet, & quid sit Christus, qui pontifex factus sit in aeternum: nunc ex consequentibus, de quo dicantur ista videamus. Unicum filium, inquit, ejus Dominum nostrum. Post hoc docet nos quia Jesus iste, de quo diximus, & Christus de quo exposuimus, unicus Filius Dei & noster Dominus sit: ne forte putes quod humana ista vocabula terrenum te aliquid doceant: ideo subiungit: Unicum hunc esse Filium Dei Dominum nostrum. Unus enim de uno nascitur: quia & splendor unius est lucis, & unum est verbum cordis: nec in numerum pluralem desinit incorporea generatio, nec in divisionem cadit, ubi qui nascitur nequaquam à generante separatur. Unicus est ut menti sensus, ut cordi verbum, ut forti virtus, ut sapientia sapienti. Nam sicut solus sapiens pater ab Apostolo dicitur: ita & solus filius sapientia nominatur. Unicus ergo filius est, & cum sit gloria, sempiternitate, virtute, regno, potestate hoc quod pater est, omnia tamen haec non sine autore sunt patre, sed ex patre tanquam filius habet: cumque sit ipse omnium caput, ipsius tamen caput pater est. Sic enim scriptum est: Quia caput Christi Deus est. Filium sane cum audis, nolo generationem carnalis nativitatis assumas, sed memento hoc de incorporea dici substantia & natura simplicis. Si enim, ut supra jam diximus, vel in eo quod cor generat verbum, vel mens sensum, vel lux ex se parit splendorem, nihil horum requiritur, nec ulla in tali generatione fragilitas cogitur: quanto purius & sacratius de horum omnium creatore confendum est? Sed fortasse dicas: ista quam memoras insubstantiva est generatio: neque enim lux substantivum facit splendorem, aut cor substantivum generat verbum: Filius autem Dei substantialiter asseritur generatus. Ad haec primo omnium illud dicimus, cum etiam in ceteris profertur exempla, non per omnia tamen similitudinem servare possunt rei illius, cui praebere putantur exemplum: sed unius alicujus partis pro qua videntur assumpta, similitudinem tenent. Verbi gratia: ut cum in Evangelio dicitur: Simile est regnum caelorum fermento quod abscondit mulier in farinae mensuris tribus: Nunquidnam putabimus regnum caelorum per omnia simile esse fermento, ut substantia illa ita palpabilis sit ac fragilis, ut & acida fieri possit & corrupta? Sed ad hoc solum exemplum istud videtur assumi, ut ostenderetur ex parva praedicatione verbi Dei humanas mentes fidei fermento posse coalescere. Similiter & cum dicitur: Simile est regnum caelorum reti misso in mare, quod ex omni genere piscium abstrahit. Et in hoc nunquid putandum est, quod naturae lini, quo rete operamur, ac nodis quibus maculae necluntur, regni caelorum substantia per omnia conferatur? Sed ad hoc solum videtur assumpta comparatio, ut ostenderetur, quia sicut rete de profundo maris pisces adducit ad litus, ita de profundo saeculi hujus errore, humanae animae regni caelorum praedicatione liberantur. Ex quibus constat exempla non in omnibus his, quorum exempla sunt, esse similia. Alioqui si eadem essent omnia, jam non exempla dicerentur, sed ipsae potius res, de quibus agitur, viderentur. Deinde etiam illud dicendum est, quod nulla creatura talis esse potest, qualis creator ejus: & ideo sicut sine exemplo est divina substantia, ita & sine exemplo est divinitas. Tum etiam illud addimus, quia omnis creatura ex nihilo est. Si ergo insubstantiva scintilla, quae ignis est, ex se creaturam quae ex nihilo facta est, gignit, & conditionem in hoc servat originis suae: cur illius aeternae lucis substantia, quae semper

fuit, quia insubstantivum in se nihil habuit, insubstantivum ex se splendorem proferre non potuit: Et ideo recte unicus dicitur filius. Unicus enim & solus est qui ita natus est: nec comparationem aliquam potest habere quod unicum est: nec similitudinem in substantia cum facturis suis habere potest ille, qui factor est omnium. Hic est ergo Christus Jesus unicus Filius Dei, qui est & Dominus noster. Unicus & ad filium referri & ad Dominum potest. Unicus est enim & vere filius, & unus Dominus Jesus Christus. Carteri quippe filii, licet filii dicantur, adoptionis tamen gratia dicuntur, non veritate naturae. Et si dicantur alii Domini, concessa tamen non ingenua potestate dicuntur. Hic vero solus est unicus filius, & solus unicus Dominus: sicut & Apostolus ait: Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia. Ideo posteaquam propositus ordo fidei, ineffabile sacramentum filii de nativitate patris exposuit: nunc ad humanae sanctis dignationem dispensationemque descendit: & hunc quem supra dixit unicum Filium Dei, & Dominum nostrum, nunc dicit: Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine. Haec jam inter homines dispensationis nativitas est, illa divina substantia: haec dignationis est, illa naturae. De Spiritu sancto ex virgine nascitur: & jam in hoc loco mundior auditus requiritur & purior sensus. Hunc enim quem dudum de patre natum ineffabiliter didicisti: huic à Spiritu sancto templum fabricatum intra secreta uteri virginis intellege: & sicut in sanctificatione sancti Spiritus nulla sentienda est fragilitas, ita & in partu virginis nulla intelligenda est corruptio. Novus enim huic saeculo datus est hic partus: nec in merito. Qui enim in caelis unicus filius est, consequenter & in terra unicus est, & unice nascitur. Nota sunt omnibus & in Evangelii decantata de hoc scripta Prophetarum, quae dicunt: Quod virgo concipiet & pariet filium. Sed & partus ipsius mirabilem modum Ezechiel Propheta ante formaverat, Mariam figuratim portam Domini nominans, per quam scilicet Dominus ingressus est mundum. Dicit ergo hoc modo: Porta autem quae respicit ad Orientem clausa erit & non aperietur, & nemo transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel transibit per eam, & clausa erit. Quid tam evidens de conservatione virginis dici poterat? Clausa fuit in ea virginitatis porta: per ipsam intravit Dominus Deus Israel: per ipsam in hunc mundum de utero virginis processit, & in aeternum porta virginis clausa, servata virginitate permansit. Igitur sanctus Spiritus refertur dominicae carnis, & templi ejus creator. Incipe jam hinc intelligere etiam Spiritus sancti maiestatem. Contestatur enim & evangelicus sermo de ipso: quod cum loquenti angelo ad virginem & dicenti: Quia paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: hic enim saluum faciet populum à peccatis suis: illa respondisset: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco: & dixerit angelus ei: Spiritus sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: & ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Vide ergo cooperantem sibi invicem trinitatem. Spiritus sanctus venire dicitur super virginem, & virtus altissimi obumbrare ei. Quae est autem virtus altissimi, nisi ipse Christus, qui est Dei virtus & Dei sapientia? Cujus autem haec virtus est? Altissimi, inquit, Adest ergo altissimus, adest & virtus altissimi, adest & Spiritus sanctus. Haec est trinitas ubique latens, & ubique apprensus, vocabulis personisque discreta, inseparabilis vero substantia deitatis: & quamvis solus filius nascatur ex virgine, adest tamen & altissimus: adest & Spiritus sanctus, ut & conceptus virginis significetur & partus. Verum haec quia ex scripturis prophetis asseruntur, possunt forte Judaeos quamvis sint infideles & increduli confutare. Sed pagani solent irridere nos, cum audiunt praedicari à nobis virginis partum: propter quod paucis eorum obreclationibus respondendum est. Omnis partus ex tribus, ut opinor, constat: si adultae aetatis sit femina, si virum adest, si non sit illius vulva vitio sterilitatis occlusa. Ex his tribus in hoc partu quem praedicamus unum desuit, vir scilicet: & hanc partem (quia qui nascatur non erat terrenus homo, sed caelestis) per spiritum caelestem dicimus salva virginis incorruptione completam. Et tamen quid mirum videtur, si virgo conceperit, cum Orientis avem quem Phoenicem vocant, intantum sine conjugis nasci vel renasci constet, ut semper una sit, & semper sibi ipsi nascendo vel renascendo succedat? Apes certe necesse conjugia, nec fetus nixibus aedere, omnibus palam est. Sed & alia nonnulla deprehenduntur sub hujusmodi sorte nascendi. Hoc ergo incredibile videbitur divina virtute ad totius mundi

reintegrationem factum, cujus exempla etiam in animalium nativitate cernuntur? Et tamen mirandum est cur hoc gentilibus impossibile videatur, qui credunt Minervam suam de cerebro Jovis natam. Quid ad credendum difficilius, aut quid magis contra naturam est? Hic femina est, hic naturae ordo servatur, hic conceptus, hic partus temporibus suis editur: ibi nusquam femineus sexus, sed vir solus & partus. Qui illa credit, cur ista miratur? Sed & Liberum patrem dicunt de femore ejus natum. Ecce aliud portentum genus, & tamen creditur. Venerem quoque, quam Aphroditem vocant, de spuma maris, sicut & nominis ejus compositio ostendit, credunt esse progenitam. De ove natum Castorem Pollucemque confirmant: & ex formica Myrmidones: & alia mille sunt, quae quamvis contra naturam rerum venientia, ipsis tamen sunt visa credibilia: ut Deucalionis & Pyrrhae lapides jactos, & hominum ex his legentem natam. Et cum haec tot & talia signa crediderint, unum eis impossibile videtur, quod adolescens femina, divinum germinem, non hominis vitio, sed Deo spirante conceperit. Qui utique si ad credendum difficiles sunt, illis tot & tam turpibus monstris fident nequaquam commendare debuerant. Si vero faciles sunt ad credendum, multo promptius haec nostra tam honesta & tam sancta recipere, quam illa tam indigna & tam foeda credere debuissent. Sed dicunt fortassis, quia possibile si fuerat Deo ut virgo conciperet, possibile etiam fuerat ut pareret: sed indignum eis videri, ut tanta illa maiestas per gentiles feminae transfret egressus, ubi quamvis nulla fuerit ex viri commixtione contagio, fuit tamen ipsius puerperae obscenae attractionis injuria. Pro quo paulisper eis secundum sensum suum respondeamus. Si quis videat parvulum in profundo caeni necari, & ipse cum sit vir magnus & potens, extremum, ut ita dixerim, ingrediatur caenum, ut parvulum liberet moriente, pollutus ne à te accubabitur hic vir, qui paululum calcaverit luti: an ut misericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro? Sed haec etiam de communi homine dicta sunt. Redeamus nunc ad naturam ejus qui natus est. Quantum putas natura solis illo inferior est: quantum creatura sine dubio creatore. Intuere nunc, si solis radius in caeni alicujus voragine demittatur, nunquidnam aliquid inde pollutionis acquirat? aut obscenorum illustratio, solis ducitur in injuriam? Ignis quoque quanto natura est inferior his de quibus sermo est: & nulla materia, vel obscena, vel turpis adhibita ei, ignem polluisse creditur? Cum haec ita esse in rebus materialibus constet: tu in illa supereminenti & incorporea natura, quae super omnem ignem, & super omne lumen est, pollutionis aliquid putas ac obscenitatis incidere? Tunc deinde etiam ad illud adverte. Nos hominem à Deo creatum de terra limo dicimus. Quod si obscenitas Deo reputatur opus suum requirenti, multo magis ei reputabitur opus istud ab initio fabricanti. Et superfluum est dicere, cur per obscenae transfret, cum non possis dicere, cur obscena condiderit. Et ideo obscena haec esse, non natura, sed observantia docuit. Ceterum omnia quae sunt in corpore, ex uno eodemque luto formata visibus tantum & officiis naturalibus distinguuntur. Sed ne illud quidem absolute vacare hujus questionis omittamus: quod substantia Dei quae omnino est incorporea, inseri corporibus, vel capi ab eis principaliter non potest, nisi aliqua sit media substantia spiritalis, quae capax divini spiritus possit esse. Verbi gratia: ut si dicamus, lux omnia quidem membra corporis illustrare potest, à nullo tamen coram nisi à solo oculo capi potest. Solus est enim oculus qui capax est lucis. Et filius ergo Dei nascitur ex virgine, non principaliter soli carni sociatus, sed in anima inter carnem Deumque media generatur. Anima ergo media & in secreta rationabilis spiritus arce verbum Dei capiente, absque ulla quam suspicaris injuria Deus est natus ex virgine. Et ideo nihil ibi turpe putandum est, ubi sanctificatio spiritus inerat: & anima quae erat Dei capax, particeps fiebat etiam carnis. Nihil ibi dicas impossibile, ubi adest virtus altissimi. Nihil de humana fragilitate cogites, ubi plenitudo inerat divinitatis. Crucifixus sub Pontio Pilato, & sepultus descendit ad inferna. Docet Apostolus Paulus illuminatos esse debere oculos cordis nostri ad intelligendum quae sit altitudo divinitatis, latitudo & profundum. Altitudo ergo & latitudo & profundum, descriptio crucis est: cujus eam partem quae in terra deha est, profundum appellavit. Altitudinem vero illam quae super terram porrecta sublimis erigitur. Latitudinem quoque illam, quae distenta in dexteram levamque manus protenditur. Cum ergo tot species mortis

sint, quibus de hac vita exitus dari hominibus solet: quid vult nos Apostolus illuminato corde scire rationem, cur ex his omnibus crucis potius species ad mortem delecta sit salvatoris? Unde sciendum est, quod crux ista triumphus erat. Trophaeum enim insigne: triumphus autem devicti hostis indicium est. Quia ergo adveniens Christus, sicut Apostolus dicit, tria pariter sibi regna subiecit, hoc enim indicat ubi ait: Quia in nomine Jesu omne genua flectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum: & haec omnia sua morte vincebat. Conveniens mysterio mors quaesita est, ut in aere sublatus, & aeris subjugans potestates, victoriam de his supernis & caelestibus traderet. Expansas autem manus tota die, Sanctus Propheta dicit eum tenere ad populum qui est in terra, ut incredulos contestaretur, & invitaret credentes. Ea vero parte, qua sub terram demergitur, inferni sibi regna subieceret. Etenim (ut breviter aliqua etiam de secretioribus perstringamus) ab initio Deus cum fecisset mundum, praefecit ei & praeposuit quasdam virtutum caelestium potestates, quibus regeretur & dispensaretur mortalium genus. Quod ita factum Moyses indicat in Deuteronomii cantico, ubi dicit: Cum divideret excelsus gentes, statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei. Sed & horum nonnulli, sicut & ipse qui princeps appellatus est mundi, datam sibi à Deo potestatem, non his quibus acceperant legibus temperarunt, nec humanum genus divinis obedire praecipis, sed suis parere pravaricationibus docuerunt: & hinc adversus nos peccatorum chirographa scripta sunt, quia ut Propheta dicit: Peccatis nostris venundati sumus. Precium namque animae suae unusquisque consequitur, cum concupiscentiae satisfecerit. Per istud ergo uniusquisque chirographum illis rectoribus pessimis tenebatur: quod Christus detraxit adveniens, & hac eos potestate denudavit. Idque sub ingenti mysterio Paulus indicat, cum dicit de eo: Delens quod adversus nos erat chirographum, & affignes illud cruci suae, tradidit principatus & potestates, triumphans eos in semetipso. Rectores ergo illi quos humano generi praefecerat Deus, in tyrannidis contumaciam versi, impugnare commissos sibi homines aggressi sunt, & peccati praesulis debellare: sicut Ezechiel Propheta mysticis designat eloquiis, cum dicit: In illa die procedent angeli festinantem exterminare Aethiopiae: eritque inter eos perturbatio in die Aegypti, quoniam recitudo venit. Ergo omni potentia eorum nudata, Christus dicitur triumphasse, ablatamque ab eis potestatem hominibus tradidisse: sicut ad discipulos suos dicit ipse in Evangelio: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Illos itaque qui accepta potestate male abusi sunt, subiectis quondam suis subiecit crux Christi. Nos vero, hoc est, humanum genus edocet primo omnium usque ad mortem resistere adversus peccatum, & libenter interitum pro pietate suscipere. Tunc deinde obedientiam nobis in hac eadem cruce proponit exemplum, sicut in illis qui aliquando rectores nostri fuerant, posuit contumaciae poenas. Audi ergo quomodo Apostolus vult per crucem Christi obedientiam nos docere. Hoc, inquit, sentite in vobis, quod in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu repertus ut homo, factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quia ergo ille magnus magister est qui fecerit & docuerit: ideo quae prius etiam suscepta morte servanda docuit, ipse haec primus moriendo servavit. Sed fortasse terretur aliquis in hujusmodi doctrina, quod quem paulo ante cum Deo patre diximus sempiternum, ac de ejus substantia esse progenitum: quemque regno, maiestate, aeternitate, unum cum Deo Patre esse docuimus: nunc de ejus morte tractamus. Sed nolo terretur o fidelis auditor: paulo post istum quem audis mortuum, rursum immortalem videbis. Mors enim ab eo mortem spoliatura suscipitur. Nam sacramentum illud susceptae carnis, quod supra exposuimus, hanc habet causam: ut divina filii Dei virtus velut hamus quidam, habitu humanae carnis obtectus, & (sicut Apostolus Paulus ante dixit) habitu inventus ut homo, principem mundi invitare possit ad agonem: cui ipse carnem suam velut escam tradens, hamo eum divinitatis intrinsecus teneret insertus ex profusione immaculati sanguinis. Solus enim qui peccati maculam nescit, omnium peccata delevit: eorum duntaxat, qui sanguine ejus postes fidei suae signassent. Sicut ergo hamus escam contextum si piscis rapiat, non modo escam ab hamo non removet, sed & ipse